

elegantissimo opere, minus existere perfecte expressam, hac demum de causa, ut pingeretur iterum, sed numeris absoluta omnibus, procuravi.

CXLVIII.

HIERACIUM INCARNATUM.

Hieracium scapo multifloro; foliis radicalibus obovato-oblongis, repandodenticulatis hirsutis.

Hieracium scapo multifloro; nudo; foliis lanceolatis, denticulatis, hispida, dilatatis, obtusis. *Scopoli flor. carn. 2. tom. 2. p. 106. num. 968. tab. 50.*

Nostri in montibus frequentius nullum. Illud ego in apice olim montis sancti Jodoci prope Crainburgum, ejusque declivibus inveni pratis exeunte Majo. Eodem item tempore alias, in primis Montis Loibl acclivitatibus extra Kirschentheur; tum in Singeburg nächst der deutschen Kapl, dum ex Ebenau ascenditur initio Junii, una cum Agrimonia Agrimonoide & Orchide Sambucina. Iterum Junio in finem vergente ad fanum sancti spiritus, Villacum inter & Bleybergam, dum in Villacensem Heiliger Stein dictam alpem ascenditur. Nec non in Valle Julia (Gailthal) unter der Windischen Höhe; ac Dravana sub Ortenburgenfibus alpibus, alibique sæpius. Radix non equidem præmorsa; fusiformis imo, fibrosisque comata radiculis, oblique tantisper in terram demersa, unum plerumque (tamen & duos, tresve interdum) ad pedis plus minus altitudinem, complura inter radicalia folia, attollit scapum, laxè apicem versus paniculato-ramosum. Est ille sat græcilis, firmus tamen, teres, primum viridis, & villosus, tum una cum pedunculis florum, rufo-fuscus, nudus, & glaber; foliis obsitus
nul-

nullis, si perbreves demas squamas, five foliaceas bracteolas lineari-lanceolatas; quæ ramos extimos, aut & florum succolant pedunculos. Radicalia contra folia complura, per terram in orbem sparsa, dum tantisper suberecunt attollant sese. Crassiuscula hæc sunt, fere & subcoriacea, obovato-oblonga, in petiolum etiam velut decurrentia, laxè per marginis oras repandodenticulata albidis supra infraque villulis hispida. Flores compositi syngenesiæ æqualis. Calyx cylindræus, squamis imbricatus linearibus, nudis, dorso teretiusculis, interioribus longioribus, æqualibus, exterioribus brevioribus, duplici in serie alternantibus, non patulis, sed incumbentibus. Corollæ æquales, hermaphroditæ, ligulatæ, lineares, truncatæ, apice quinquedenticulatæ, patentes, dilute incarnato-rubellæ; tubulo basi brevissimo, albo, ad faucem pubescente. Stamina quinque, capillaria, brevissima, alba. Antheræ longæ, in cylindrum subpentagonum connatæ, saturatius rubentes, polline aurato-flavente. Receptaculum nudum. Germen oblongo-subovatum. Stylus albus antherarum altitudine; stigmata duo exserta, recurva, simplicia, rubella. Semen oblongum nudum, coronatum pappo sessili, simplice, capillaceo, longo, sericeo-candicante.

CXLIX.

HOTTONIA PALUSTRIS.

Hottonia floribus verticillatis; pedunculis unifloris.

Hottonia pedunculo verticillato-multifloro. *Linn. sp. plant. p. 208. num. 1.*

Scopol. flor. carn. 2. tom. 1. p. 137. num. 213. Oeder. flor. dan. tab.

487. Gunnér. flor. norv. tom. 2. p. 138. num. 1062. Haller hist. stirp.

helv. tom. 1. p. 279. num. 632.

Mille-